



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 7. Deus pronior ad dandum, quàm accipiendum. Seu, dum petit, vult dare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

sed gratias agentis pro acceptorum beneficiorum magnitudine: *quid mihi dabis?* num est, quod sperem præterea? copiosa sunt, & magnificentissime, tuæ gratiæ, nullis circumscriptæ terminis: nec modum, nec finem habent, fontium more inexhaustæ, & subsistentæ perpetuò. Bæza t. 3. l. 14. c. 2.

Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pl. 2. 7. Quod de generatione temporali explicant Orig. Achanaf. Beda &c. Et tamen sequenti Psalmò, cum de resurrectione Christi agitur; nec Christus appellat suum Patrem, nec ipse eum suum Filium vocat. Pl. 3. 6. *Ego dormivi, & soporatus sum; & exurrexi, quia Dominus suscepit me.* Mirum, quòd Dominus dum descendit ad humanæ naturæ abjectionem, passionem, ac mortem; à Patre vocatur Filius; & in gloriosa resurrectione nomen Filii prætermittitur: non enim dicitur, Dominus suscepit me Filium suum. Christus magis cognoscitur nostrò loquendi modò, Filius æterni Patris ad mortem descendens, quàm gloriosò corpore ascendens. S. Ambros. l. 3. de sacram. c. 1. pulchrè autem ait Pater ad Filium, ego hodie genui te, hoc est, quando redemisti populum, quando ad cœli regnum vocasti, quando implèsti voluntatem meam; probasti meum te esse Filium. Sylveira in Joan. 3. q. 48.

Accepti dona in hominibus. Pl. 67. 19. Apostolus dicit Ephes. 4. 8. *dedisti.* Utraque autem acciderunt: quandoquidem qui accipit ab accedentibus fidem, largitur gratiam. B. Theodor.

Qui pascitur inter lilia. Cant. 2. 16. S. Bernardus l. 7. 1. Cum pascit, pascitur; & pascit, cum pascitur; simul nos suà gaudiò spirituali reficiens, & de nostro æquè spirituali profectu gaudens.

Sitientes venite ad aquas. Il. 55. 1. Sicut sitiri bibere cupientibus potum præbet. Cum ab eo beneficium petitur, beneficium id ducit: prompta, munifica, atque proluxa, natura est; jucundius dat, quàm alii accipiunt. S. Gregor. Naz. Or. 40. in S. Baptisma.

Accipe bonum. Os. 14. 3. Id est da bonum, quòd à nobis vicissim accipias. Ad blandiendum enim artificiosi mendicij dicunt, accipe, non da q. d. da non tam nobis, quàm tibi; quia nos tibi illud reddemus. Cornelius hic.

Ex Novo.

Exiit, qui seminat seminare semen suum. Luc. 8. 5. Maximè sibi reputat proprium, ac suum, quòd aliis dat. Sylveira hic.

Et gratiam pro gratia. Joan. 1. 16. Id est, augmentum gratiæ pro usu gratiæ. Hugo Card. in Pl. 17.

Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. 3. 16. Cur hic non solum dicitur Filius unigenitus, sed additur *suus*? Dum autem in sinu describitur, omittitur. Joan. 1. 18. *unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* N. Licet Christus D. semper sit Filius sui Patris, tamen ita nos amat Patrem: cum pro nostra salute Filius traditur ad mortem, magis dicitur suus, quàm cum quiescit in sinu Patris. Sylveira hic q. 48.

Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens &c. 1. Cor. 11. 13. 14. Benefactor dona exhibet & gratis agit? summus hic benefactor cum sciret, quàm honorificum sit dare; Patri æterno, pro tali dandi seipsum opportunitate, gratias egit. Didacus Niss. D. 1. Pent. §. 2.

Ex Patribus.

Tanta est erga omnes bonitas Dei; ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his, quæ largitus est, æterna præmia sit daturus. S. Chrysof. hom. de Adam & Eva.

Ecce qualis est Dominus noster! ut donando debeat; & quòd magis donat, tantò magis eum debitorem esse non pigeat: in quantum enim gratias largitur, in tantum debitor invenitur. Nec enim potest aliquis debitorem habere, nisi in eo, quid ipse dignatus fuerit gratuita largitate conferre. S. Fulgentius ad Monimum in Prologo.

O in æstimabilis misericordiæ Dominum! qui ad hoc nobis in præsentis religionis munera tribuit, ut ipsa in nobis posita, quæ nunc dat munera, muneret. Salvianus de Provid. l. 7.

Leticans nos exhilaratur Christus, & pascens pascitur misericors, & nostrum potum, ac alimoniam, hoc est, Doctrinam, proprium cibum existimat. Theophylactus in Matth. 26.

§. VII.

Deus prior ad dandum, quàm accipiendum.

Seu, dum petit, vult dare.

Tolle filium tuum unigenitum &c. Gen. 22. 2. Misericors Deus, & justus. Quæsit misericors Deus capitulum in homine, per quod posset justè debitor ipse teneri: quæsit, inquam, ab homine unigenitum sibi filium immolari; ut suum ipse Filium justà vicissitudine deberet homini. Rupertus in Gen. l. 6. c. 30.

Rogabas illum quidam. Luc. 7. 36. Rogabatur Jesus ut acciperet; qui potius rogandus erat ut largiretur. Plura sibi aderant ad largiendum, quàm hominibus, beneficiâ; nec non, & quæ hominum, sua erant. Simon Cass. l. 9. c. 29.

Ecce agnus Dei. Joan. 1. 29. Cur Christus D. vocatur à Joanne agnus, cum ab Il. 40. 11. Vocetur Pastor? N. quia cum sit bonus Pastor; est verus ductor, princeps; & ideo agnus: nam ut Pastor regit, ac pascit oves; ut verus agnus Paschalis eas carne suâ nutrit; & propriò sanguine ab omni peccato liberat. Sylveira hic q. 4.

Illum oportet crescere, me autem minui. Joan. 3. 30. Id est, illum oportet dare, me autem accipere. V. Beda hic.

Da mihi bibere. Joan. 4. 7. Advertit miram Dei liberalitatem; qui tunc reputat se accipere, cum dat. Fons vitæ juxta fontem sedens, bibere potest; non bibere volens, sed potum dare. *Da mihi bibere,* ut tibi dem bibendam aquam immortalitatis: ego enim salutem mortalium sitio; non ut bibam, sed ut potum præbeam: Patrem imitor meum: sic enim ait ad Abraham: da mihi filium tuum. Non quòd accipere filium vellet, id dixit; sed quòd proprium Filium orbi

O o o o 2 terra

terrarum largiri vellet. Da mihi unigenitum, & Mundo largiar unigenitum: immola filium; non ut immoles tu; sed ut ego Filium meum unigenitum immolem pro salute Mundi. Ità hic quoque: *da mihi bibere*; non ut bibam, sed ut potum præbeam. S. Chrylost. t. 6. orat. in Samaritanam. Jesus veniens ad cor hominis, residet super fontem, cum bona naturalia movet; petens à nobis, ut nos petamus eum; id est, ut suæ gratiæ, quæ præsens est, habilemus nos, & liberum arbitrium applicemus. Hugo Card. hic.

Bonus Pastor animam suam dat. Joan. 10. 11. Dum pastoritium animarum munus extollit Dominus, nihil ab ovibus à se pascendis receptum narrat; sed hoc unum prædicat, quòd ipse dederit: *dat animam suam pro ovibus suis.* Id. noverat ille, qui Ps. 118. 176. *erravi sicut ovis.* Dum enim gratias Pastori suo referre voluisset, ait Ps. 115. 12. *quid tribuam Domino? calicem salutaris accipiam.* Quærit aliquid, quod Domino retribuatur, & non invenit, nisi quòd recipiat calicem salutaris. Is est bonus pastor, qui non tam gaudet recipere, quàm semper dare. Bæza t. 3. l. 14. c. 14. §. 1. Nihil sic boni Pastoris ingenium commendat, quàm dandi, non accipiendi, proprietas. Inter mercenarium, & Pastorem, S. Gregorius id differentiæ maximè invenit, quòd mercenarius accipere ab ovibus temporalia lucra desiderat: Pastor autem nihil adeò curat, quàm ovibus dare, eorumque commodis providere.

Bonus Pastor animam suam dat. Escobar l. 3. Colloq. Chr. l. 9. Obf. 1.

Accipietis virtutem superveniens spiritus S. in vos; & eritis mihi testes. Act. 1. 8. Plus dat Deus, quàm exigit, & primus dat. Apostoli, ab illo Spiritu S. accipiunt, cum de eo testimonium in terris dent. Porrò largiùs donat, quàm recipit. Spiritum sui cordis largitur, ut Spiritum illi oris nostri commodemus. Quæ autem comparatio spiritus æterni verbi cum verbis rudium piscatorum? Oliva l. 12. Strom. hic.

Exigit, & postulat, à nobis Deus, ut habeat occasionem donandi. Origen. hom. 39.

§. VIII.

Deus dat plura, & meliora, quàm petamus.

Ex Veteri.

S. Alomoni petenti sapientiam; divitias & gloriam, addidit. 3. Reg. 3. 9. &c.

Dilata os tuum, & implebo illud. Ps. 80. 11. Agellius q. d. quàmvis magna, & ampla, tuerint, quæ à me petieris; nunquam meam munificentiam tuâ petitione, & optione, vinctes. Non eris tam cupidus in optando, quàm ego in beneficiis, & in dando, munificus; apud Escobar t. 6. Par. Chr. l. 1. Obf. 6.

Osuletur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. S. Ambros. l. de Isaac, & anima c. 3. illa osculum poposcit, DEUS verbum se ei totum infudit. Agnoscebat amatrici Dei, si aliquid à Deo habeat, statim Deum ipsum cum tota plenitudine donorum accipiet. Sylveira in Act. 1. q. 7.

Non intrabit civitatem hanc, & non jaciet ibi sagittam. Il. 37. 33. ait Dominus de rege Assyriorum. Sed dat plura, quàm promisit: nam insuper 4. Reg. 19. 35. *Veni angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octuaginta quinque milia.* Sylveira in Joan. 16. q. 2.

Ex Novo, & Patribus.

Voluit rationem ponere cum servis suis. Matth. 18. 23. Servos habet, non quibus indigeat; sed quia indigent eò servi, eà indigentia necessitatis, quàm nihil sine ipso subsistit, sicut sine ipso nihil potest sine ipso beatè consistere. Simon Cass. l. 6. c. 17.

Debebat ei decem millia talenta. Matth. 18. 24. Decem millium talentorum debitores nos sumus; qui quotidie multis beneficiis afficimur; & nihil boni rependimus Deo, Theophylactus hic.

Miserus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum, dimisit et. Matth. 18. 27. Plura Dei pietas tribuit, quàm petant debitores. Escobar t. 6. Par. Chr. hic Obf. 6.

Rogabant eum, ut illum tangeret. Marc. 8. 22. *Et apprehensa manu eum, duxit eum extra vicum.* S. Chrysol. l. 176. Illi rogabant, ut tangeret eum; sed Christus, qui horrere nescit pauperem, pauperem scit amare; totam dedit pauperi manum. Et debilitati Deus publicam præbuit servitutem. Condere orbem, solem, lunam, stellas, opera sunt digitorum suorum; adjuvare pauperem, opus est totius manus Dei. Totam dedit pauperi manum. Addit Evangelista v. 23. *Imposuisti manibus suis.* Arconesin Il. 3. Disc. 2.

Elisabeth autem impletum est tempus pariendi. Luc. 1. 57. Patiens esto, & in sanctis petitionibus persiste: copiosior enim bona tibi elargietur, quàm exoptulas. Zacharias & Elisabeth, quòlibet filio ijs datò contenti essent; & cum filia etiam; ut sterilitatis opprobrium vitarent. Dominus tamen plus petito concessit: quia filium dedit, quòd inter natos mulierum non surrexit major. Stella hic.

Nè timeas Zacharia; quoniam exaudita est deprecatio tua: Et uxor tua Elisabeth pariet tibi filium. Ibidem. Angelus non dixit, uxor tua absolucè, ut nota Caletanus, sed *uxor tua.* q. d. ultra id, quòd precatus es, habebis filium: quia liberalissimus DEUS plura, quàm petamus, concedit. Sylveira hic.

Remittuntur tibi peccata tua. Luc. 5. 20. Cum Christus sit liberalissimus, merita supplicum transcendens, ac desideria; frequentè plus largitur, quàm petitur. Sicut & huic paralytico primò contulit animæ sanitatem; quamvis nec ipse, nec eum portantes, aliud postulare intenderint, quàm sanitatem corporis. Dionysius. Carthus hic.

Non